Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31635
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

rapinis intenti. homicidiis prompti. in quibus non est iusticie fructus. non decime dantur. non pauperes aluntur. non tegitur nudus. non suscipitur hospicio peregrinus. ideo hec plaga uentura est super prouinciam istam. Monachis quoque suis precipiens dixit. Abscedite uos a loco isto auferentes uobiscum que habetis. ecce gens appropinquat quam predixi. Dicentibus autem illis non relinquemus te sanctissime pater. ait nolite timere pro me futurum est enim ut inferant mihi iniurias. sed non nocebit usque ad mortem. Descendentibus autem monachis. aduenit exercitus longobardorum. Qui dum cuncta que repperiant uastabant. ad locum ubi uir sanctus inclusus erat peruenerunt. At ille per fenestram tribus se illis ostendit. Illi uero circuientes turrem. dum aditum quererent. per quem ad eum ingredi possent. et minime inuenirent. duo ascendentes tectum discooperuerunt illud. et uidentes eum cinctum catenis. indutumque cilicio dicunt. Hic malefactor est et homicidium fecit. ideo in his ligaminibus uinctus tenetur. uocatoque interprete sciscitantur ab eo quid mali fecerit ut tali supplicio artaretur. At ille fatetur se homicidam esse. omniumque criminum reum. Tunc unus exerto gladio ut caput eius amputaret. mox dextra in ipso ictu suspensa diriguit nec eam ad se reuocare potuit. que relicto gladio terre deiecit. Hec uidentes socii eius clamorem in celum dederunt. flagitantes a sancto ut quid eis agendum esset clementer insinuaret. Ipse uero imposito salutis signo. arescens brachium sanitati restituit. Longobardus autem qui sanatus fuerat ad fidem christi statim conuersus est celitus. deinde monachus effectus est. atque in eodem loco usque ad finem uite sue in dei seruitio permansit. Beato uero hospicio dum longobardis dei uerbum loqueretur. duo duces qui eum uenerabiliter audierunt. incolomes patrie … redditi sunt. quidam uero qui eius uerba despexerant in ipsa prouincia mirabiliter perierunt.

Passio sancti v.x Quirini tribuni et martiris

k mai. A ii k mai.

Quidam romanorum nomine quirinus. habebat filiam gutturnosam nomine balbinam. habebatque ipse dux beatum alexandrum papam in carcere clausum. ipsa uero puella pergebat sepissime ad carcerem ubi beatus alexander papa catenis tenebatur ligatus. et deosculabatur catenas quibus ipse sanctus ligatus erat scilicet ob gratiam recuperande sanitatis. Cui beatus alexander dixit. Noli filia mea osculari has catenas. sed inquire boias sancti petri quibus uinctus fuit et osculare illas. et deinde recipies sanitatem. Que mox ad patrem suum ueniens. narrauit ei sicut audierat a prefato papa. Quod audiens pater puelle. misit ierosolimam nuntios qui perquirerent carcerem ubi apostolus erat. et inde secum afferrent boias sancti petri. Quod ita factum est. Quas deosculans prefata puella. illico recepit sanitatem. Sicque beatus alexander exiens de carcere constituit celebrari hanc sollempnitatem kalendis augusti in honore beati et sancti petri. et in eius nomine edificauit ecclesiam que dicitur ad uincula in qua etiam ut fertur sollempnitate catene eius deosculabantur a populo deuote.

Post sanitatem autem filie quirinus cum ipsa filia et omni domo sua baptizatus est. et qui in carcere uincti tenebantur dimissi sunt. et cepit carcer esse quasi ecclesia. Tunc abiit commentariensis ad aurelianum dixitque ei uniuersa que gesta sunt. Unde iratus iussit adduci ad se quirinum et dixit ei. Ego te quasi filium dilexi. tu autem irrisisti me. deceptus ab alexandro. Dixit ei quirinus. Ego christianus sum. uis occidere. uis fustigare. uis incendere. aliud non ero. Nam omnes qui erant in carcere feci fieri christianos. et dimisi eos. et noluerunt usquam ire. Sanctum autem alexandrum papam et uirum illustrem hermen rogaui ut abscederent et noluerunt. ibique omnes sunt in carcere dicentes. Si persequentibus nobis mori habuimus ac pro christo quanto magis pro christi nomine animas nostras offerimus. Ego uero rogaui eos ut exirent omnes qui baptizati sunt. et uestibus candidis nouisque uestiri. quia hoc exigit religio christiana. sed ad martyrium astant omnes usque nunc. paratique ad necem suam. sic esuriens paratur ad epulas. Iam tu quod placet incipe facere. Tunc fecit ei linguam abscidi. dicens. Linguam tuam aufero quia non timuisti sic audacter tua mihi pandere secreta. ut tacentem te torqueri iubeam in eculeo. Quirinus dixit. Miser et infelix libera animam tuam. ne eterne pene te suscipiant. Qui tyrannus in eculeo dum ab aureliano iniuria non cessaret. iussit ei manus ac pedes incidi. et sic eum decollari. et proici canibus. corpusque eius sepelierunt christiani in uia in cimiterio pretextati. ii. kalendas mai. ubi exuberant beneficia dei usque in hodiernum diem. Prestante domino nostro. ihesu christo. qui cum deo patre et spiritu sancto uiuit.

Vita sancte Waltpurge uirginis